

prudentiæ. At vero & hæc fori disputatio magnam juris incertitudinem introduxit.

10. Uti vero illa legum interpretatio à Patribus vel Patriciis occupabatur, ita & iidem juris dicendi potestatem sibi vindicabant, & populo certas solennesque formulas præscribebant, ne, prout vellet, actiones institueret, quæ appellantur legis actiones.

11. Potissimum vero apud Collegium Pontificum hæc potestas interpretandi & formularum residebat. Legebantur Pontifices olim ex solis Patriciis, & ex his postea constituebatur, quis quoque anno præesset privatis interpretando & respondendo de jure.

12. Incertæ erant variantes & incognitæ populo hæc legis actiones. Inerat iis maxima subtilitas & iniquitas. Nam si litigatores præeuntibus Jure-Consultis in pronunciando vel syllabâ deerrassent, formula cecidisse aut causa dicebantur, id est causam perdidisse.

13. Postea cum Cnejus Flavius in vitis nobilibus Ædilis curulis factus esset, formulas istas evulgavit & fastos in albo reposuit, ut à toto populo quotidie cognosci

sci